



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Exemplorum Libri Tres

Liber Tertius, Sive Exempla Divinae Irae, Per Opera Poenitentiae, Nobis  
Leniendae - Per Quadragesimam Anno M. DC. XLVIII. narrata

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 9. Immensa misericordia allici homines ad poenitentiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48194)

IX.  
IMMENSAM MI-  
SERECORDIAM  
ALLICIT HOMI-  
NES AD POE-  
NITENTIAM.  
Osee. 13. 9.

Quàm inexcusabiles igitur erunt, qui hanc tantam Deipa-  
ra, immò qui infinitam Dei misericordiam audiunt, credunt, &  
tamen negligunt, aut adhuc desperant? Nonnè illis dici poterit:  
*Perditio tua Israël?* Nonnè isti digni sunt mille gehennis? qui  
non iam de tot peccatis, quotquot vmquam commissa sunt, con-  
scij, sed ob furtum, ob rem alienam à se possessam, ob inimicum  
vnicum vindicandum, ob consuetudinem fornicandi, aut potan-  
di, aut otandi, cogitationem omnem salutis deponunt; & de  
misericordia Dei desperant. At vidit hoc ab æterno prouidum,  
Numen? & tamen eos creauit, pro illis homo fieri, illis Matrem  
dare misericordiz, denique pro ipsis in crucem tolli voluit. Et  
nondum nos mollie tanta pietas? tam immensa bonitas? Am-  
plius progressa est. Postquam vidit, nos hæc omnia contemptu-  
ros, adhuc benefecit, adhuc alia remedia exitijs nostris excogita-  
uit: vt etiam sic adhuc lapsi surgere possemus. Nam SS. Sacra-  
menta instituit, per quæ nobis vim sanguinis applicaret. Vultis  
videre infinitam patientiam, & immensam bonitatem? Vidit  
plurimos etiam hæc contempturos, calcaturos, adhibituros ad  
occasionem illum offendendi, & non subtrahit: nec adhuc sub-  
trahit; quamuis homines vsque ad eò insaniant, vt ipsa sese me-  
dicina occidant; & illo gladio Deum persequantur, quem à Deo  
contra suos, & Dei hostes acceperunt. Nonnè enim causam ha-  
beret, vt diuina à se instituta sacramenta è medio amoueret, qui-  
bus homines sacrilegè abutuntur? At tam immense bonus est, vt  
sacramentum poenitentiz adhuc ei offerat in salutem, qui centies  
sacrilegè confessus est; vt dum saltem in vltima confessione seriò  
retractat sacrilegus suas confessiones, veniam misericordiamque  
consequatur.

X.  
SACRAMEN-  
TORVM ABU-  
SUS.

Incredibilia videor dixisse, sed ostendam esse verissima. 1.  
Cum omne sacramentum sit signum visibile practicum rei inuisi-  
bilis, seu gratiz, quam confert, id quod ad gratiam conferen-  
dam est institutum, adhibent ad gratiam destruendam, quoties  
per baptismum, per chrisma, per mille sacramenta temerè, im-  
piè, iactanter blasphemant; illi nimirum, qui Redemptori suo ipsi  
sanguinem & vulnera exprobrant. 2. Baptismum non solum in  
sui condemnationem accipiunt, qui minimè Christianè viuunt; sed